



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Caput 6. Frustra recurritur ad internum Spiritus privati testimonium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

sus manet hominibus perpetuò obscurus : cum nulli constet quinam homines in particulari sint reprobi , quinam electi . Neque admittent , ut arbitror , reprobum esse S. Augustinum , aut S. Hieronymum , qui Scripturas sibi obscuras esse profitentur , ut supra ostendimus .

CAPUT VI.

Fuſtrà recurritur ad internum Spiritus privati testimonium.

1. **D**um ex argumentis hactenus allatis evincitur , sectarios , qui Ecclesiæ Romanæ autoritatem rejiciunt , deſtitutos eſſe ſufficienti regula fidei & judice controverſiarum , eumque extra Scripturas quærendum eſſe : recurrere demum coguntur ad latebras Spiritus privati , cuius testimonio dicunt ſe interius in anima divinitus edoceri , ut poſſint ſinguli de vero Scripturæ ſenſu judicare , & reliquas fidei controverſias decidere .

2. Sed contra , Vanum & fictitium eſſe illud Spiritus privati testimonium , certissimis argumentis hoc modo demonſtrabis .

Primò , Internum Spiritus Sancti testimonium non poeteſt ſibi contradicere . Sed ſibi contradiceret , ſi illud haberent nostri temporis ſectarii . Ergo Spiritus interni testimonium , quod prætendent , eſt vanum & merè fictitium .

Minor probatur , Lutherani ex interno Spiritus testimonio dicunt Epiftolam D. Iacobi non eſſe veram Scripturam , ſed potius inanem & ſtramineam , ut loquitur Lutherus : Calvinistæ autem ex eodem Spiritus iſtinctu affirmant

D 4

eam

eam Epistolam esse Scripturam verè divinam. Iterum, Lutherani aiunt per hæc Scripturæ verba, *Hoc est Corpus meum*, significari realem Christi præsentiam; Calvinistæ contrà per eadem verba intelligunt solam figuram Corporis Christi. Hæc autem est manifesta contradictione, pro qua tamen utraque pars æquè strenuè allegat internum Spiritus privati testimonium.

3. Cum verò in omni contradictione, alterutra pars necessariò debeat esse falsa, sequeretur primò, Spiritum Sanctum esse authorem falsitatis, quod est prorsus impium. Sequeretur secundò, nullum à Christo relictum esse modum convincendi aut judicandi hæreses, quas tamen ipse prævidit necessariò emersuras. Nam quivis Hæreticus non minus facilè affirmabit se habere internum Spiritus testimonium quam quivis alius Sanctus & fidelis. Si interim extra Scripturam, Spiritum privatum, nullum admittas judicem in controversiis fidei, nullus omnino supererit modus hæreses judicandi, aut convincendi. Poterunt enim semper prætendere sc̄ habere internum & arcanum Spiritus Sancti dictamen, quod nunquam per aliud Spiritum privatum æquè arcanum & obscurum debitè refelletur, nunquam enim potest aliquid incertum aut ignotum, per aliud æquè ignotum refutari.

4. Quando itaque Sectarius articulum aliquem suæ fidei, aut verum Scripturæ sensum probat ex Spiritu privato hoc modo. Quod procedit ex interno Spiritus Sancti testimonio debet esse verum. Sed mea Fides & interpretatio procedit ex interno Spiritus Sancti testimonio, ergo mea Fides & interpretatio debet esse vera.

Contra argumentaberis in eadem forma.
Quod procedit ex interno Spiritus Sancti testi-
monio

monio debet esse verum ; sed mea Fides & interpretatio procedit ex interno Spiritus Sancti testimonio : ergo mea debet esse vera. Quid jam restat Sectario, quo veritatem suæ fidei mihi declareret , aut ulli sapienti , qui de ea edoceretur cupit ? Et tamen Scriptura 1. Petri 3.monet Fideles quod debeant esse , *Parati semper ad satis-faciendum omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe.*

5. Quod si dicat, se potius quam me possidere internum Spiritus Sancti testimonium; quia scilicet est in vera Ecclesia , vel quia est prædestinatus, vel quia Scriptura id testatur. Respondeatur hoc ipsum nunc esse in quæstione , ac proinde idem probat per idem , ac merum circumlocutionem committit. Quæritur enim , unde constet te habere veram Ecclesiam , aut verum Scripturæ sensum. Respondest te id scire ex interno Spiritus testimonio. Dnm autem inquiritur , unde cognosci possit, te potius quam me habere illud internum Spiritus testimonium. Respondes quia sum in vera Ecclesia . Ubi vides te circulo inextricabilis bellè inclusum , neque per Spiritum privatum illum tibi , aut fidei controversis existim reperiens.

His etiam argumentis manifestè convellitur nova Secta Tremblantium , qui sibi persuadent se interno quodam Spiritus Sancti enthusiasmo edoceri , atque omnia ex arcano ejus impulsu operari. Quamvis his Medico magis opus opus est quam Argumento, ut sanato cerebro , vanescant illa emotæ mentis deliria.

D,

C A